

BX 1749
TG
v. 8
1883



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

IN
TERTIAM PARTEM
SUMMÆ D. THOMÆ.

QUÆSTIO PRIMA.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

DISPUTATIO PRIMA.

DE SATISFACTIONE PURI HOMINIS.

Quia impossibile est perfectissimam satisfactionem, qualis est satisfactio Christi Domini, plene intelligere, nisi intellecta satisfactione puri hominis, quæ imperfecta est, et de qua in præsentis solet agi; et quia connaturale est, procedere ab imperfecto ad perfectum, ideo prius agemus de satisfactione puri hominis, ostendendo ejus deficientiam; deinde de satisfactione Christi, agendo de ejus perfectione. Oportet autem pro totius materiæ intelligentia præmittere, in quo consistat perfecta, vel imperfecta satisfactio, et quid sit punctus difficultatis in præsentis.

ARTICULUS I.

Explicatur differentia satisfactionis perfectæ et imperfectæ, et aperitur punctus difficultatis.

I. D. Thomas in præsentis quæstione, articulo II ad secundum di-

THEOLOGIA VIII.

visit satisfactionem sufficientem in perfectam, et imperfectam. Ejus verba sunt: « Satisfactio potest dici dupliciter sufficiens; uno modo perfecte, quia est condigna per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ: alio modo potest dici satisfactio hominis esse sufficiens imperfecte, scilicet secundum acceptionem ejus, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna. » Istæ sunt diffinitiones, seu descriptiones satisfactionis perfectæ, et imperfectæ apud D. Thomam. Quæ ut intelligantur, quia præcipuam lucem afferunt difficultatibus deinceps tractandis, supponenda est ratio communis, seu generica satisfactionis: deinde explicandum est, in quo consistat quod sit sufficiens, et quid sit ille duplex modus sufficientiæ, ex condignitate videlicet, et ex acceptione creditoris. Igitur satisfactio in tota sua amplitudine, et genere nihil aliud importat, quam compensationem, seu redditionem alicujus debiti.

II. Quia vero est multiplex debitum secundum variationem ejus, variatur quoque species, seu ratio satisfactionis; variatur autem ratio

debiti secundum varias species, et partes potentiales justitiæ, ut notat S. Thomas 2-2, quæst. LXXX, articulo unico, ubi explicat partes potentiales. Aliud enim est debitum legale, seu strictum, et ex lege ortum; aliud morale seu decentiæ, sicut est debitum fidelitatis, gratitudinis, amicitiae. Unde similiter compensatio debiti, alia est compensatio debiti legalis; alia debiti moralis, seu decentiæ, et consequenter in omnibus istis compensationibus invenitur diversa ratio compensationis. Sicut alia est satisfactio gratitudinis pro beneficio accepto; alia satisfactio fidelitatis loquendo semper veritatem; alia amicitiae, reddendo redactionem. In præsentī loquimur de satisfactione debiti legalis, seu debiti rigorosi, quale invenitur in materia justitiæ, et læsionis alicujus juris, si quidem agimus de satisfactione injuriæ factæ Deo per peccatum; et sic definitur satisfactio, quod est recompensatio voluntaria æquivalentis pro æquivalenti: et dicitur voluntaria ad distinguendum illam a satisfactione, qua quis solvit debitum etiam non volens: hæc autem proprie non vocatur satisfactio.

III. Ut autem recompensatio sit æquivalens, ex quo pendet, quod sit sufficiens, attendenda sunt duo, alterum est materia, seu pretium in quo fit recompensatio; alterum est forma justitiæ, seu conditiones, ut ex rigore justitiæ fiat; potest ergo perfectio, et imperfectio satisfactionis distingui ex parte materia, vel ex parte formæ. Ex parte quidem materiæ, perfectio, vel imperfectio attenditur penes valorem, seu adæquationem ad id pro quo fit recompensatio. Et quidem si valor ipse rei, seu materiæ oblatae adæquet ex se in recompensatione debitum, vocatur satisfactio perfecta. Sicut si quis abstulit centum, et offert rem habentem pretium, seu valorem ipsorum

centum, est satisfactio perfecta, ex parte rei oblatae. Si vero pretium, seu res oblata non habeat in se valorem adæquantem debitum, satisfactio est imperfecta; unde ut sit sufficiens, debet suppleri, quod deest ex acceptione, et gratia creditoris, quatenus illo modico pretio est contentus, reliquum remittens. Ex parte autem formæ, seu modi justitiæ attenditur etiam perfectio, vel imperfectio, si servantur, vel non servantur omnes conditiones requisitæ ad specialem, et propriam justitiam, quæ non solum attendit valorem materiæ, sed etiam conditiones personarum.

IV. Numerantur autem a theologis præsertim Thomistis, Capreolo, Cajetano, Ferrariensi, aliisque extra scholam Thomistarum, quinque conditiones ad exactam, rigorosamque formam justitiæ requisitæ. Prima est, ut illa bona, seu materia ex qua fit compensatio, licet habeant valorem æquantem debitum, sint tamen propria ipsius debitoris, quia si aliena sunt, non recompensant: secunda, quod non solum sint propria quomodocumque, sed nullo modo sub dominio creditoris: tertia, quod non sint alio titulo debita: quarta, quod intercedat vera ratio ad alterum, et sint distinctæ personæ, creditor et debitor: quinta, quod creditor teneatur acceptare talem satisfactionem, ita quod aliam non possit exigere. An vero ad hanc quintam conditionem requiratur aliquod pactum inter creditorem, et debitorem, ut creditor obligari possit ad acceptandam satisfactionem, et quomodo tale pactum, si forte detur, non excludat veram rationem justitiæ, disquiretur sequenti disputatione tractando de satisfactione Christi. Interim certum est, quod si tale pactum intercedat, non debet esse pactum favorabile addens ex favore creditoris aliquid pro suffi-

centia, et valore recompensationis, tale enim pactum addit ex parte materiæ aliquid ad valorem, et condignitatem rei; et hoc pacto favorabili dato destruitur vera ratio justitiæ, et satisfactionis perfectæ, sed ad summum debet esse pactum quasi legale, id est, ad modum contractus, sicut intercedit inter conductorem, et operarium, ut ex justitia sit obligatio.

V. Constat ergo ex dictis duplicem esse satisfactionem perfectam, duplicem item imperfectam. Perfecta ex parte materiæ est, quæ habet ex parte rei oblatae valorem sufficientem, et condignitatem ad debitum: imperfecta, quæ non habet, sed indiget gratia creditoris, non quomodocumque, sed supplementem valorem qui deest. Perfecta ex parte formæ vocari solet satisfactio ex toto rigore justitiæ, quæ scilicet servat omnes conditiones justitiæ rigorosæ: imperfecta ex parte formæ, quæ eas non omnino servat, quamvis alias perfecta sit ex parte materiæ, et valoris in quo recompensat.

VI. Pater Vazquez in hac tertia parte, tomo I, disput. II, cap. v, num. LI, et disput. IV, cap. II, et disput. VII, cap. v, et disput. VIII, cap. III, et aliis locis dicit tria. Primo, præcipuam rationem satisfactionis perfectæ in eo constitui, ut sit talis, quod non indigeat favore, et acceptione creditoris gratis aliquid remittentis: secundo, satisfactionem Christi pro nobis esse in genere meriti, scilicet ex eo Christum satisfecisse, quia perfecte meruit nobis auxilia gratiæ, et satisfactionem nostram: tertio, conditiones requisitas ad rigorem justitiæ dicit conducere quidem ad perfectionem satisfactionis, quæ est ex justitia proprie dicta, qualis est justitia commutativa inter homines, non tamen ad perfectionem satisfactionis, quæ est ex justitia generaliter accepta, et qua-

lis invenitur in ratione meriti, et præmii inter Deum, et homines. Unde non distinguit perfectionem satisfactionis ex parte materiæ, vel ex parte formæ justitiæ, sed distinguit duplicem justitiam; alteram propriam, alteram generalem, et dicit quod ad rigorem, et perfectionem justitiæ proprie dictæ requiruntur illæ conditiones numeratæ: ad rigorem vero, et perfectionem justitiæ generaliter acceptæ, dicit non requiri illas conditiones, sed sine illis inveniri rigorem, perfectionemque justitiæ, solum per hoc, quod absque favore, et gratia creditoris habeat satisfactio valorem adæquantem debitum. Sicut verbi gratia, una ex conditionibus requisitis, est quod homo ex propriis, et non acceptis satisfaciat, et tamen ex rigore justitiæ homo justus meretur præmium, etiamsi ex acceptis a Deo mereatur, quia ex rigore justitiæ generaliter acceptæ, non propriæ, et commutativæ quis meretur. Quam doctrinam probat disp. IX, capite quarto.

VII. Verum illud fundamentum Vazquez, quod satisfactio Christi fuerit per modum meriti, non est nunc tractandum, sed reservandum disputatione sequenti, ubi latius examinabitur; ostendemusque latam differentiam inter meritum, et satisfactionem. Nunc sufficit nobis advertere, quod si loquamur in præsentī de satisfactione propria, qualis est illa, quam definivimus, quod sit compensatio æquivalentis pro æquivalenti, impossibile est, quod extrahatur a limite justitiæ proprie dictæ. Si vero dicitur pertinere ad justitiam generaliter acceptam, oportet quod satisfactio non sit propria, sed generaliter etiam accepta.

VIII. Quod autem rigorosa, et propria satisfactio ad justitiam proprie dictam pertinere debeat, ex eo manifestum est, quia satisfactio ex natura propria, et essentiali ordinari

debet ad bonum ipsius creditoris, in eo in quo læsum est jus ipsius; non autem ad bonum satisfaciens, aut aliorum, quibus meretur, aut in quorum utilitatem cedit satisfactio, nisi per accidens, quatenus liberantur a debito, vel ab onere satisfaciendi: per se autem, et proprium objectum satisfactionis est reparare jus læsum creditoris; si enim hoc non habet, extra diffinitionem est propriæ satisfactionis, et sic pertinebit ad aliam speciem, de qua in præsentem non loquimur. Reparare autem jus læsum est objectum justitiæ propriæ dictæ; sic enim probat S. Thomas 2-2, quæst. lxi, art. iv, quod in passionibus, et actionibus injuriis est justum commutativum quod utique est justitiæ propriæ dictæ; cum ergo Deus habeat jus propriissimum ne offendatur ab homine, multo magis quam homo ne offendatur ab alio, læsio hujus juris est læsio justitiæ propriæ dicti. Unde vera, et propria satisfactio ad hoc tendit, et de se petit conditiones justitiæ propriæ dictæ, nisi per accidens ex defectu conditionum deficiat a justitia propriæ dicta, et declinet in aliam speciem, quæ sit pars potentialis justitiæ.

IX. Ubi notanda sunt aurea verba D. Thomæ 2-2, quæst. lvii, art. i ad tertium: « Quod quia justitia æqualitatem importet, Deo autem non possumus æquivalens recompensare, inde est, quod justum secundum perfectam rationem non possumus Deo reddere, et propter hoc non dicitur propriè jus lex divina, sed fas, quia videlicet sufficit Deo, ut impleamus quod possumus. Justitia tamen ad hoc tendit, ut homo quantum potest, Deo recompenset, totaliter animam ei subiciens. » Ubi sanctus doctor quando dicit quod: « Deo non possumus æquivalens recompensare, et ideo justum secundum perfectam rationem non pos-

sumus ei reddere, » aperte id, quod removet est justum propriè dictum et pertinens ad justitiam propriè dictam: ergo e converso recompensatio æquivalentis, si esset possibilis, deberet esse justum propriè dictum. Loquimur autem in præsentem de satisfactione, prout est recompensatio æquivalentis secundum perfectam rationem; ergo loquimur de satisfactione pertinente ad justum propriè dictum, et non secundum generalem rationem justitiæ.

X. Et ex doctrina D. Thomæ in præsentem articulo secundo, id non obscure deducitur, ut etiam notat magister Soto in iv, distinct. i, quæst. v, art. iv. Nam cum dicit satisfactionem sufficientem perfecte esse illam, quæ est condigna per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ, non solum loquitur de condignitate adæquante recompensationem ex parte valoris rei oblatae; sed etiam ex parte conditionum requisitarum ad justam recompensationem, quia si conditiones istæ defuerunt, redundat in defectum condignitatis simpliciter loquendo, si quidem si defuerunt istæ conditiones ex gratia creditoris suppleri debent, ut patet, si creditor habeat dominium rei, quæ sibi offertur in recompensationem, aut est sibi alio titulo debita, aut ab ipso collata debitori, ut sibi satisfaciatur, non est dubium intervenire gratiam specialem creditoris, ut contentus sit tali satisfactione, si quidem ex natura rei, non sibi fit satis per illa bona, quæ ipsemet possidet, aut donat, ut sibi satisfiat.

XI. Quare si Vazquez ad perfectam satisfactionem exigit, quod non egeat gratia creditoris, utique perfectam satisfactionem nullo modo potest admittere, nisi habeat omnes illas conditiones, quia si aliqua defuerit, ex gratia creditoris suppleri debet, et consequenter perfecta sa-

tisfactio ex natura rei debet poni in ratione justitiæ propriæ dictæ. Quod si non habuerit omnes illas conditiones, habuerit autem valorem ex parte rei oblatae, non propterea erit perfecta satisfactio in alio genere justitiæ, sed dicetur perfecta, ex parte materiæ tantum, et non ex omni parte, quod est esse perfectam secundum quid, sicut dicimus aliquid esse bonum ex objecto, quod tamen potest ex circumstantia esse malum. In quo longe differt ratio meriti a ratione satisfactionis, quia ratio meriti, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. xxi, artic. iii, dicitur in ordine ad retributionem, quæ sit secundum justitiam. Retributio autem propriè sit secundum actum justitiæ distributivæ, et in hoc præcise salvatur vera ratio meriti.

XII. Ad rationem autem justitiæ distributivæ non attenditur, quod aliquis operetur ex propriis, vel ab alio acceptis, etc. sed sufficit, quod bene operetur, nam et servus mereri potest apud dominum, licet totum quod habeat domini sit; satisfactio autem sit secundum recompensationem injuriæ, vel damni illati; unde maxime pertinet ad veram satisfactionem, quod fiat ex propriis, et alias indebitis, quia aliter non resarcit, quod ablatum est a creditore, nisi tantum ex illius gratia. Et hoc ideo est, quia meritum respicit retributionem, et sic ordinatur ad bonum merentis; satisfactio vero recompensationem, et sic ordinatur ad bonum creditoris; unde in hoc per se attenditur, quod fiat secundum illas conditiones, non vero in merito.

XIII. In præsentem ergo disputatione supponimus tamquam certum, purum hominem non posse Deo pro peccatis satisfacere ex rigore propriæ justitiæ servando omnes illas conditiones requisitas ad veram formam justitiæ. Hoc supponimus

contra Aureolum in iv, distinctione xv, artic. ii, in hac nova editione: dixit enim hominem purum per gratiam, posse ex rigore justitiæ satisfacere Deo pro peccato, quia potest offerre Deo actum ita intentum in charitate, sicut fuit peccatum secundum malitiam: et ex alia parte non debet illum actum titulo justitiæ, sed religionis, aut charitatis, vel gratitudinis; ergo potest per illum actum reddere æquale titulo justitiæ. Nec enim esse debitum alio titulo impedit, quominus etiam titulo justitiæ dari possit, nam potest Petrus solvere pecuniam debitam Paulo existenti in extrema necessitate, et tunc solvit eodem pretio debitum justitiæ, et charitatis. Cæterum non est ventilanda quæstio ista, sed supponenda: nam nec homo purus, ut distinguitur ab habente gratiam, et in puris naturalibus, potest de rigore justitiæ satisfacere; nec homo purus, ut distinguitur ab habente divinum suppositum, licet habeat gratiam.

XIV. Ratio est, quia homo purus pro offensa Deo illata, non potest per propria naturalia satisfacere, si quidem quidquid naturale est in homine, debitum est Deo, titulo creationis, ita quod etiamsi non offenderet, illa omnia naturalia Deo debebat subicere, ideoque tamquam alias debita non satisfaciunt ex rigore, ut optime advertit Anselmus libro primo Cur Deus homo, cap. xx. Et præterea illa opera naturalia erant inferioris ordinis ad personam offensam, quæ infinita est, et offensa erat in ratione finis ultimi, et ut supernaturalis est auctor, si quidem de se illud peccatum erat exclusivum gratiæ, etiamsi de facto non excluderet, quia de facto erat in homine in statu puræ naturæ, et ad reparandum bonum naturæ per peccatum amissum; sicut vita naturalis amissa reparari non potest

per naturam. De quo videndus est S. Thomas 1-2, quæstione cix, artic. vi et vii. Quare si potest homo Deo satisfacere, debet esse per opera supernaturalia excedentia naturam totam; hæc autem non sunt propria hominis, sed ex gratia Dei ipsi donata, et sub dominio Dei contenta, magis quam sub hominis dominio, quia totum quod ex creatura est, magis est Dei, quam ipsius creaturæ, præsertim in his, quæ liberaliter dantur; nec enim potest Deus abdicare a se dominium ejus, quod donat. Igitur non potest homo purus servare omnes conditiones justitiæ in satisfactione offensæ divinæ. Hoc certum est.

XV. Solum ergo restat dubium, an per opera supernaturalia possit homo satisfacere, exhibendo valorem, et pretium condignum, quantum est ex parte materiæ, seu rei oblatae, pro offensa facta Deo; an vero requiratur aliud altius supernaturali actu, ut possit condignitatem hanc habere; et ad rationem Aureoli patet clare, quod et si id quod offerret homo purus Deo, esset æqualis valoris cum peccato, tamen quia offerebat illud, ut acceptum a Deo, et sub dominio Dei existens, non offerebat secundum conditiones justitiæ, quidquid sit an alio titulo aliarum virtutum sint debita; sufficit enim, quod sub dominio Dei continerentur, ut ex rigore justitiæ non fiant. Unde si in satisfactione Christi non inveniremus aliquo modo actiones satisfactorias esse extra dominium Dei in ratione redditionis honoris, revera difficile inveniremus satisfactionem ex rigore justitiæ. Resultant ergo tres difficultates. Prima, an possit per opera supernaturalia a gratia procedentia exhibere opera condigna pro offensa propria, vel aliena mortali: secunda, quomodo contritio satisfaciatur pro peccato in ordine ad remissionem

culpæ de facto, et quod genus satisfactionis sit: tertia, an saltem pro veniali possit homo justus condigne satisfacere. Hæc sunt principales difficultates, ex quibus aliæ minoris ponderis solvi possunt.

ARTICULUS II.

Utrum homo purus per gratiam possit exhibere condignam satisfactionem pro peccato mortali?

I. Duo in peccato attendenda sunt in præsentia, quæ recompensatione indigere videmus, unum ex parte damni; alterum ex parte injuriæ. Ratio damni nihil infert Deo intrinsece, quia nihil illi aufertur ex bonis suis, unde damnificari, aut spoliari non potest. Causat tamen peccatum in nobis damnum, quatenus inducit maculam privantem rectitudine morali, et privantem etiam nitore gratiæ; unde plura alia damna in potentiis animæ sequuntur, quæ enumerat S. Thomas 1-2, qu. lxxxv. Ratio autem injuriæ, non tenet se ex parte nostri, quia per peccatum injuriam non sustinemus, cum potius voluntarii simus: Peccatum enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium. Sed injuria infertur Deo, non quidem injuria damnificativa, sed per modum contemptus in transgressione voluntatis Dei, et læsiva juris divini, in quantum non habemus ipsum pro fine ultimo, ad quod habet jus strictum, et proprium; nam habet strictum, et verum dominium; ergo strictum, et verum jus ad ista bona extrinseca hominis, et consequenter redditur offensa ejus majestas. Hæc vero injuria consistit in aliqua moralitate, et denominatione, qua persona ipsa læsa dicitur, non effective, et entitative, sed moraliter, et secundum æstimationem rectam.

In quo differt Deus a legislatore, et principe creato, cujus mandata, et leges, si quis transgreditur, etiam si principem offendat, non tamen ejus honorem proprie lædit, quia solum dicitur inobediens principi, non tamen dehonoreans ipsum, et aliud est peccatum inobedientiæ, aliud læsivum honoris. In peccato mortali, non solum est transgressio præcepti, sed et læsio divini honoris, et injustitia stricta.

II. At vero, qui peccat in Deum, non tantum offendit ipsum in ratione inobedientiæ, sed etiam in ratione læsionis honoris, quia Deus est finis ultimus omnium actionum moralium, quod non habet princeps creatus, et ad hoc habet supremum jus, et supremum dominium. Unde qui in actionibus moralibus ipsum non habet pro fine, lædit jus ipsius. Sicut enim habet jus, ut colatur tamquam primum principium (et idololatria est speciali modo dehonoreativa Dei) sic habet jus ut finis ultimus omnis actionis moralis, quod quidem læditur per peccatum mortale. Unde de omni peccato verificatur, quod dicit Scriptura, peccatum postponere Deum creaturæ, et ideo nomine servitutis, derelictionis, et conculcationis Dei significatur, Isais XLIII: *Servire me fecisti in peccatis tuis; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*: Jerem. II: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas*: et ad Hebræos X: *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit*. Sicut ergo, qui faceret principem servire, aut ipsum dereliqueret, aut conculcasset, non solum inobediens, sed etiam dehonoreativus esset; sic per istas metaphoras significatur peccatum, non solum generali quadam ratione inobedientiæ ad mandata Dei, sed etiam

modo dehonoreativo Deum offendere.

III. Oppositum hujus tamquam sententiæ suæ fundamentum supponit pater Vazquez in præsentia disputatione II, cap. III, num. XXII, remittitque se ad primam secundæ, disput. CCXXXIII, cap. III, unde quia disputare non possumus, nisi in principiis aliquibus conveniamus, oportet contra ipsum tamquam certum supponere, quod in peccato non solum est transgressio præcepti divini, sed et læsio divini honoris, et consequenter aliquid spectans ad materiam injustitiæ, quia læsio honoris semper est injustitia. Et præcipuum fundamentum Vazquez est, quia alias in quolibet peccato esset duplex malitia, et ratio peccati, altera injustitiæ erga Deum: altera contra aliam virtutem, verbi gratia, actus intemperantiæ esset contra temperantiam ex objecto suo, et contra justitiam, et injuriosus est Deo.

IV. Et præterea quia nos non tenemur ex justitia satisfacere Deo, sed tenemur per charitatem ei reconciliari, et mediante reconciliatione ei satisfacere; ergo signum est nos non committere per peccatum aliquam injustitiam specialem contra Deum, si quidem ex injustitia non tenemur ei. Idem etiam ostendit exemplo principis, cui non infertur injuria proprie, et per se loquendo, ex eo quod ejus mandatum quis transgrediatur, unde in hoc non committit injuriam contra principem ex justitia resarciendam, quia nec in honore ipsum lædit, neque in bonis damnificat, nisi fortasse verbis contumeliosis in ipsum principem insurgeret, aut si in ejus conspectu diceret se nihili facere ejus præceptum, hoc enim genus injuriæ teneretur resarcire.

V. Cæterum, ut hujus auctoris æquivocationem (in qua maxime